

Vicia lathyroides omnino Tua parva est.

Vicia Cracca videtur major Tua, qualis in agris crescit, nec ex specimine video differentiam.

Bryonia dioica, gratissima erant hujus semina, ut et reliqua.

Geranium molle videtur, quod apud nos crescit in hortis variis modis.

Doronicum a Te missum, forte sub morbo meo statu, plane oblivioni datum, tum alia mihi cogitanda erant quam plantae.

Orobanches specimina multa habeo, sed in Svecia minime crescit, nec de aliis cogitavi, mihi itaque Tua obscura.

Quaeso des adhuc semel Semina Hasselquistiae minoris.

Oro rescribas quam primum quanti veneant Tui libri missi secundum Ducatos Belgicos . et cui tradantur Holmiae, an vestro Legato? ut certius accipias.

80.

Amplissimo D. Jacquin Car. Linné.

Vicia Cracca nobis dicitur illa a Te missa planta quae superbiebat pulchris caeruleis floribus. Quomodo se res habeat, incipio dubitare nunc . duplex apud nos est, quam credebam eandem. *Major* crescit in agris inter Secalem, saepe in maxima copia, saepe sexpedalis, credebam perennem, sed altero anno in agris Hordeaceis non occurrit. *Minor* crescit in pratis apricis, pedalis circiter, magis incana, et certe perennis. Mereretur utraque seri in Horto, ut constaret utrum altera esset annua et reliqua. Antea vix ullus certo determinabit.

Ranunculus ignotus est certissime *Ranunculus parviflorus*, habui in Horto vivum.

zoo. Campanula sibirica . tua magis undulatis foliis.